Corinthios visebatur leonem sopiens. Sicyonijque
pingebant sonum, ferocissimos domare leones,
quo leonis involucro nihil, nisi omnia sono doma-
ri posse volebant inclusisse. Ubi enim sonus in-
crebuit, tacet omne pecus volucresque, ferae, et simu-
lant festos curvata cacumina sonos, nec brevibus
fluvijs idem sonus, recedit horror aequoris, et
terris maria acclinata quiescunt. Si enim Stud.
soni potentiam, virtutesque uberius investigari,
et considerari velint, merito in summam abripi-
mur admirationis extasin. Quos enim nec dura
rigidi certamina Martis, nec robustissima militum
manus, nec fortissima propugnaculorum munimenta
potuere superare, superavit sonus: et quos nec
labor, nec minae, nec pericula, nec mille doli
fraudesque quiverant vincere vicit, ~~sonus~~ supera-
vit sonus. ~~Et~~ Quod quidem plurimis probarem
exemplis tam veteribus, quam recentibus, ni brevitati,
ut par est, studerem. Vellem tamen adesset Samson,
vellem adesset Holophernes, adesset vellem Sisara,

Troiani.